



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de  
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de  
Matrimonio

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

Art. III. De impedimento cognationis,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

fuisse Regibus mascula proles, spes esse potuisset nubendi Regum domo regni. Ibidem etiam addit, nullum scriptorem temporis Frederici, aliquid dicere de monachatu Constantie. Quod si (inquit) nubes cessum id rumore quodam conculcasse, potius quam auctoritate Majorum, vel certa ratione asseruisse cognoscitur, eadem plane quæ effutur levitate, reuincitur. Addit insuper hanc historiam variis esse refertam mendaciis. Cælestinus enim non favebat Henrico, sed potius Tancredo; quomodo ergo dispensavit in matrimonio Constantie cum Henrico, contra Tancredum? Quomodo etiam, illa quinquagenaria nuptia, quæ decimum quadragesimum quartum attigerat, cum defuncta est? Quæ etiam ratione fieri potuit, ut Constantia in Monasterium detuderetur à patre, perterritio varicinio Joachimi Abbatis, qui esserebat quod si nuberet, foret Sicilia funesta, ut narrat Fazellus, cum ipsa nata sit posthuma, ut omnes farentur Historicis, & constat ex his verbis quæ B refert Baronius:

*Sponsa fuit speciosa nimis Constantia dicta,*

*Posthuma post patrem materno ventre relicta.*

Denique ipsa variatio Authorum satis ostendit, hanc historiam, meram fabulam esse; cum alii Cælestinum III, alii Alexandrum III dicant Constantiam dispensasse, cum tamen Alexander III. mortuus esset quinque fere annis antequam ipsa exiret à Monasterio. Addit P. Nicolai 2. 2. quæst. 88. in scholis ad art. 3. quod si quæ fuisset revera data dispensatio à Cælestino, vel Alexandro, D. Thomas huiusmodi temporibus vicinus, eam haud dubie non ignorasset.

Ad exemplum Ramiri Aragonie Regis, Soto dicit, historiam illam in Chronicis illius regni non haberi, sed esse apocrypham; præsertim cum non nominetur Pontifex, à quo talis dispensatio emanaverit; & Sylvester verbo *volum*, Ramirum non fuisse professum asserat.

Ad aliud de Casimiro, humiliter dico, illud non carere dubietate, cum alii Benedictum IX. alii Clementem II. cum eo dispensasse narrent, & illius dispensationis nullum extet monumentum, ut apud Baronium ad annum 1041. videtur. Suntque ex gravibus Authoribus, qui dicunt, Casimirum emisisse quidem vota sua, sed vi & metu à Boleslao coactum; quod inde colligunt, quod exilio pulsus una cum matre, Clania cum perit, ibique ad maiorem securitatem, habitum Monachi suscepit. Ubi tamen, statu regni mutato, addivit Legatos venisse, ut ad regnum ipsum reducerent, incredibili gaudio (inquit Longinus) affectus est.

Ad ultimum de Nicolao Justiniano, respondo etiam ex Batonio citato. Authorem huius historie dup inter se pugnantia scripsisse, ait eum Alexandrum III. cum Nicolao Justiniano dispensasse, & B. Laurentium Justinianum ejus filium, claruisse tempore Eugenii IV. & ab eo Episcopali insula insignitum fuisse. Quæ duo inter se pugnant, quandoquidem Alexander III. Eugenium plusquam ducentis annis præcessit, Prior enim obiit anno 1181. posterior creatus est anno 1331. Cui ergo hæc exempla tam impotenter urget lib. 12. Moralium institutionum Azorius, & similis, vel incerta, vel falsa, ut doctissima D. Thomæ contradicat? Rectius sane Lopez apud Sylvium: *Lacet dicat Narratio, qui a maior pars non dubitat, Papam dispensasse, esse super solenni voto Religionis facto, ex gravissima necessitate, quod quid sit de hoc, salva Ecclesie Catholice censura, quæ de*

*A hoc hæc tamen nihil definitur, tenet cum S. Thomæ, & quibus ejus, quia illius rationes videntur fortiores*

### ARTICULUS III.

#### De impedimento cognationis.

**C**ognatio triplex est; carnalis, quæ per carnalem generationem derivatur; spiritualis, quæ per regenerationem in sacro fonte baptis-  
matis, & in Chris-  
matis sacramento, & legalis, quæ per legis adoptionem comparatur; de quibus breviter hic agendum est, cum per illam matrimonium dirimatur.

#### §. I.

#### De impedimento cognationis carnalis, seu consanguinitatis.

**C**onsanguinitas, sic dicta, quasi una (sunt) sanguinis unitas, ex D. Thomæ hic quæst. 44. art. 1. est vinculum personarum ab eodem stipite descendit, carnalis propagatione contrahitur, id est relatione quædam mutua in communicatione ejusdem sanguinis fundata, quæ amicitia radit. Unde Augustinus 12. de civit. Dei cap. 11. idem Deus ab uno homine omnes propagari voluit, ut non tantum inter se natura similiter, verum etiam cognationis affectu homines misceretur. Quod non servavit in brutis, quæ non ex angulo propagantur, sed plura simul existerent. Propterea in brutis consanguinitas non est, quia ut ait S. Doctor in resp. ad 5. in eis sanguinis participatio ad amicitiam non ordinatur. Dicitur, ab eodem stipite descendit, id est ab eodem homine, à quo procedunt alii, & pullulant, sicut rami à stipite, ita de propinquo, ut ejus virtus in descendentibus perleveret, non solum secundum similitudinem specificam, aliis omnes homines ab Adamo descendentes, essent consanguinei, sed secundum similitudinem individuum, juxta quam avus & parentes assimilant sibi prolem in figura & complexione.

Ex stipite autem deducuntur linea & gradus. Linea est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendit, metapora ducta à linea, quæ ab uno puncto videtur derivari. Gradus est habitudo seu mensura distantiarum personarum, quæ cognoscitur quora consanguinitatis distantia aliqui conjungantur, metapora ducta à scala, ut habetur expressè l. *transmissum* ff. de gradibus. Linea autem triplex est, recta ascendit, nimirum Patris, Avi, Proavi &c. recta descendit, Filii, Nepotis, Pronepotis &c. Et transversalis, seu collateralis, quæ est collectio eorum qui quidem à nobis non ducunt originem, nec nos ab ipsis, ambo tamen ab uno stipite originem ducimus. Rursus hæc transversalis est duplex; alia est æqualis, quando ambo qui comparantur, æquè distant à comuni stipite, ut duo fratres, duo fratrum filii &c. Alia inæqualis, quando nimirum non æqualiter distant à comuni stipite, ut si compararetur frater cum filio fratris sui. His suppositis,

Triplex assignatur regula à D. Thomæ art. 2. quæstionis citatæ, Prima est: In linea recta ascendit & descendit, & deinceps, si nulla persona mediet inter alias duas, ille duarum in primo gradu

du, sicut pater & filius. Si verò aliquæ personæ mediant, computanda sunt omnes personæ mediæ simul cum extremis; & tunc tot erunt gradus, quot erunt personæ, unâ demptâ: verbi gratiâ Avus & Nepos sunt in secundo gradu, quia computato Patre medio, & illis duobus, sunt tres, demptoque uno, remanent duo, & sic sunt in secundo gradu, & idem dicendum in aliis. Ratio autem est, quia duæ primæ personæ, verbi gratiâ Pater & Filius, non faciunt nisi unum gradum, & ideo non debent computari omnino tot gradus, quot personæ, sed dempta una. Et hæc regula habetur l. i. §. i. ff. de gradibus.

38 Secunda regula est: In linea transversa æquali, tot gradibus distant personæ inter se, secundum jus Canonicum, quot distant à communi stipite; & secundum jus civile, tot gradibus distant inter se, quot sunt gradus à stipite ad ipsas, numeratis utriusque personæ gradibus: verbi gratiâ duo fratres, secundum jus Canonicum, sunt in primo gradu, quia quilibet uno tantum gradu distat à stipite; & secundum jus civile, sunt in secundo. Similiter duo fratrum filii, secundum jus Canonicum, sunt in secundo, secundum jus civile, in quarto. Hæc regula colligitur ex Alexandro II. can. Ad sedem, & ex Zacharia, can. Parentela, 35. quæst. 5.

39 Tertia regula pro linea transversa inæquali: Secundum jus Canonicum personæ inter se tot gradibus distant, quot gradibus remotior distat à stipite; & verò secundum jus civile, quot sunt gradus à stipite, ad ipsas, numeratis utriusque personæ gradibus: verbi gratiâ filius fratris cum fratre est in secundo gradu, secundum jus Canonicum, & secundum civile, est in tertio. Hæc regula habetur quoad jus Canonicum in cap. Finali, de consanguinitate. Quoad Civile in Authentica de hæredibus ab intestato venientibus. Ratio autem hujus diversitatis inter jus Canonicum & Civile, traditur in dicto canone Ad sedem 35. quæst. 5. quia nimirum jus Canonicum considerat gradus consanguinitatis in ordine ad matrimonium contrahendum, quod nequit contrahi nisi inter duas personas, atque adeo duas istas personas extremas in uno gradu computat. At verò jus Civile considerat hujusmodi gradus in ordine ad hæreditatem, ut scilicet illa transferatur ab una persona ad aliam; & ideo singulis personis singulos perscribit gradus.

40 Consanguinitas autem quarundam personarum impedit matrimonium jure naturæ, & quarundam jure tantum Ecclesiastico. Matrimonia enim consanguineorum in primo gradu lineæ rectæ, nempe maris cum filio, vel patris cum filia, sunt ipso jure naturæ irrita. Unde Agobrosius ad Patrem. Ne pater (inquit) filiam suam accipiat uxorem, interdictum est naturæ jure, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum, interdictum est in violabili præscriptio pietatis, titulo necessitudinis. Ratio apud Divum Thomam 2. 2. quæst. 154. art. 9. est, quod naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus: huic autem reverentiæ non parum derogaret conjunctio matrimonialis filii cum patre, aut filii cum matre, turpitudine enim patris, vel matris revelaretur. Præterea, matrimonium ordinatur ad hoc à natura, ut duo fiant in una caro: qui autem sunt in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, jam sunt una caro secundum carnalem conjunctionem immediate. Ergo matrimonia inter illos jure naturæ illicita sunt.

Tom. V.

A Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, sed difficultas est, & controversia inter Theologos, an lex naturalis irritet etiam matrimonia consanguineorum in primo gradu lineæ transversæ, seu inter fratrem & sororem, sicut in primo gradu lineæ rectæ? Partem enim negantem tenent Scotus, Durandus, Richardus, Paludanus, Cajetanus, Pontius, Coninck, & alii. Quod enim (inquiunt) est de jure naturæ, observatur apud omnes gentes: Sed matrimonium inter fratrem & sororem non est irritum apud omnes gentes: Tum quia Abraham uxorem duxit Saram suam sororem Genes. 20. Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem. Tum etiam, quia cum vellet Ammon Thamar sororem suam opprimere 2. Regum 15 respondit ei: Noli frater mihi opprimere me, quin possis loquere ad Regem, & non negabit mihi. Addunt, quod matrimonia inter fratres & sorores fuerunt apud Persas & Egyptios permessa, unde ex Dione refert Sallianus anno ante Christum 50. num. 3. de Ptolimæo Auleto, quod testamento præcepit Cleopatra filiam majorem, & filio grandiori, ut more majorum inter se matrimonio copularentur. Addunt etiam, Martium V. dispensasse cum fratre & sorore, ut matrimonio jungerentur, ut ex S. Antonino refert Sylvester. Denique in ejusdem sententiæ confirmationem, adducunt Canonem 61. Concilii Agathensis, & 30. Concilii Epauensis, in quibus, ut ait Pontius, sic dicitur: Si quis germanam uxorem acciperit.

Nihilominus sententia affirmans talia matrimonia esse jure naturæ irrita, videtur probabilior: Primo, quia ratio quam affert D. Thomas pro matrimonio consanguineorum in primo gradu lineæ rectæ, se extendit etiam ad matrimonia consanguineorum in primo gradu lineæ transversæ; ait enim S. Doctor loco supra citato: Naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, & per consequens aliis consanguineis qui ex eisdem parentibus, de propinquo originem trahunt.

Secundo, quia licet fratres & sorores non participant eandem carnem & sanguinem, cum dependentiam ab eis, uti filii à parentibus, tamen ratione participationis immediatæ ab eodem principio, respiciunt se mutuo ut unam eandemque carnem; cum enim filius, teste Aristotele 5. Ethic. cap. 6. sit pars parentum, ex eorum lumbis, & utro decisa, frater & soror sunt eadem caro, ex parentum lumbis & utero participata.

Tertio, S. Augustinus 13. de civit. cap. 16. aperte favet huic sententiæ, ait enim: Quando antiquius est, ut viri sorores suas conjuges acciperent, compellente necessitate, tantò postea factum est damnable, religione prohibente. Nec satisfacit responsio Cajetani, dicentis Augustinum non dixisse hæc matrimonia non esse prohibita à natura, sed à religione, hoc est lege Ecclesiastica. Augustinus enim pro religione hic non accipit legem aliquam positivam, sed naturalem, quæ extrinsecum necessitatis conservandi genus humanum, talia matrimonia averfatur, & dampnat ut nefaria. Unde subdit: Fieri ergo debuit, quando potuit, ut existeret copia inde ducerentur uxores, quæ non erant jam sorores; & non solum istud ut fieret, nulla necessitas esset, verum etiam si fieret, nefas esset; cum talem licentiam ita exhorreat & averfetur humana consuetudo, quasi nunquam licere poterit. Quod etiam filii Adæ in primo gradu contraxerint, factum est,

Gggg 2 est,

est, Deo dispensante, & dante illis potestatem contrahendi, propter necessitatem propagandi per illos genus humanum: quorum alioqui matrimonium fuisse ipso iure naturali irritum.

45 Demum eadem sententia suaderi potest ex eo quod, licet in omnibus gradibus iure naturæ non prohibitis, Ecclesia aliquando dispensaverit, nunquam tamen dispensavit, ut frater forori matrimonio jungeretur. Solum legimus, semel existimatum fuisse, obrentam esse talem dispensationem, tempore scilicet Ludovici XI. Francorum Regis, quæ Comes Armeniacus dicebat se obtinuisse dispensationem, ut cum sorore sua matrimonio contraheret; quæ de re scripsit Ludovicus ad Summum Pontificem, inventumque est, subreptitiam fuisse dispensationem, & Protonotarius qui litteras Apostolicas falsè subscripserat, ultimo supplicio affectus est, ut refert Paulus Æmilius, Unde

46 Ad fundamentum adversæ sententiæ, concessa Majori, nego Minorem, & ad primam eius probationem dico, falsò supponi, Saram fuisse strictè & propriè sororem Abraham, ex eodem patre immediato & propriè dicto, cum potius fuerit filia Ara filii Thare; quippe qui duas res habuit, ex quarum una natus est Abraham, ex altera Aran, qui genuit Saram & Loth. Quare Abraham non fuit propriè frater, sed pateruelis Saræ, illi conjunctus in secundo gradu tantum, licet phrasi Hebraica fratrem illum se dixerit esse, eodem sensu quo ipsum Loth fratrem suum vocavit, id est nepotem, Genes. 13.

Ad exemplum de Thamar, respondent aliqui illam non fuisse filiam David, nec proinde sororem Ammon, sed privignam. Atque melius respondetur, ex verbis illis quæ Thamar protulit, dum Ammon eam volebat opprimere, non posse deduci efficac argumentum contra nostram sententiam; nam vel ea Thamar protulit, ex inopinata improviseque sceleris immanitate turbata. Vel ut eligens ut minus malum, cum fratre inite connubium, quam cum eodem incestum committere.

Ad tertiam probationem Minoris dico, gentes illas apud quas matrimonia frerum cum sororibus erant licita, errasse contra lumen naturale rationis, & contra jus naturæ in hoc peccasse, sicut & in multis aliis. Nam quid magis rationi repugnans, quam uxores habere communes, & adulteria ut in porifica admittere? & tamen primum permittitur apud Nomadas, secundum apud Gindanes, ut Strabo, Herodotus, & Alexander ab Alexandro testantur.

Exemplum de Martino V. falsum est, non enim ut ait Soro, cum fratre & sorore dispensavit, sed cum affine in primo gradu, nempe cum ea cujus germanam vir fornicariè cognoverat.

Demum Canon 61. Concilii Agathensis, & Canon 30. Concilii Epaunensis, corrigi debent juxta lectionem Concilii Turonensis II. cap. 22. ubi sic dicitur: Si quis germanam uxoris suæ acceperit, non autem, ut vult Pontius, si quis germanam uxorem acceperit.

## §. II.

### De cognitione spirituali.

47 Cognatio spiritualis dicimur matrimonium, est quadam personarum propinquitas, ex eo proveniens quod quis conferat sacra-

mentum Baptismi, vel Confirmationis; aut ex eo quod tener seu suscipit illum, cui tale sacramentum conferitur. Quod ut intelligas,

Sciendum, cognitionem spirituales omni ex statuto Ecclesiæ, ex generatione spirituali, sicut cognatio carnalis oritur ex generatione carnali; generationem verò spirituales fieri per baptismum, ut dicitur Joan. 3. & per Confirmationem sit validus Christianus ad publicam fidei defensionem, sicut per quantitatis sanguinem sit validus homo. Ex Concilio autem Tridentino sess. 24. cap. 2. duplex solum cognitio ex Baptismo & Confirmatione contrahitur, &

que iure tantum positivo matrimonium dicimur. Prima, per modum paternitatis inter baptizantem seu confirmantem, qui se habet ut pater, & patrum ex una parte, qui se habet ut mater, quia gerit vicem Ecclesiæ, & baptizatum seu confirmatum ex altera. Secunda, per modum compaternitatis inter baptizantem seu confirmantem, patrumque ex una parte, & parentes baptizati seu confirmati ex altera. Nulla verò spiritualis cognitio, subindeque nullum matrimonii impedimentum contrahitur inter virum & feminam, eundem de sacro fonte suscipientes, aut tenentes in sacramento Confirmationis; quia Tridentinum loco citato expressè dicit, inter alias personas tolli omne impedimentum cognationis spiritualis. Si tamen vir teneret proprium filium, contraheret cognationem spirituales cum uxore ex qua illum suscipit, quæ prohiberetur a debito conjugali. Similiterque femina, si teneret filium proprium, contraheret cognationem cum marito, ob quam debitum conjugale non posset ab illo exigere. Ex datione verò aliorum sacramentorum, præterquam Baptismi, & Confirmationis, spiritualis cognitio non contrahitur: quamvis ex sacramento poenitentis oriatur simile quid spirituali cognationi Baptismi, ut dicitur cap. Omnes 30. quæst. 1. ratione cuius nonnulli existimant, peccatum luxurie inter Confessarium & Poenitentem, habere malitiam specialem, velut incestus spiritualis, aut sacrilegii contra reverentiam sacramenti.

Ceterum impedimentum cognationis spiritualis inter supra dictas personas non incutitur, nisi certis conditionibus concurrentibus, quarum prima est, ut Baptismus & Confirmatio verè & validè conferatur, unde ex ceremoniis in templo suppletis, post Baptismum domi collatum, non oritur bene tamen ex Baptismo etiam privato. Secunda conditio est, quod persone sint capaces hujus cognationis, atque adeo quod patrum dum in Baptismo id officium sustinent, sint baptizati. Unde si infidelis nondum baptizatus, filiam matris itidem infidelis baptizaret, non posset ille quidè filiam baptizantem, uxoreque hoc impedimentum verè contrahit, docere in uxorem, licet conversus ad fidem; bene tamen ejus matrè, etiam si ambo converterentur, cum neuter eo tempore quo infans baptizabatur, legibus Ecclesiæ subiectus esset, & capax cognationis spiritualis. Tercio requiritur, ut compater & commater teneant eum qui baptizatur, aut confirmatur, vel saltem de maribus baptizantis eum immediatè suscipiant, ut declaratum fuit à Congregatione Cardinalium, quæ respondit, commatrem suscipientem infantem de manu compatris duntaxat, postquam illè baptizatus & a

fonte levatus est, ita ut eum non tangat, dum baptizatur; neque de manu ipsius baptizantis suscipiat, non contrahere cognationem spiritua-lem, ut habetur in Declarationibus impressis Lugdunensi textu Concilii anno 1640. ad cap. 2. Decreti de reform. matrimonii sess. 24. num. 8. §. in Episcopatu.

49 Adducit aliqui, requiri ut suscipiens respon-deat in Catechismo, qui Baptismo praeimitur; atque per seipsum, non per procuratorem susci-piat. Sed primum dicitur sine fundamento, cum Tridentinum hanc conditionem non requirat, sed tantum officium tenendi in Baptismo, quod est diversum ab officio respondendi in Catechi-mo, & olim diversam cognationem spiritua-lem pariebat, non irritantem, sed prohibentem ma-trimonium, ut disp. praecedenti art. 1. declara-vimus. Secundum vero repugnat aperte declara-tioni Cardinalium loco supra citato, nu. 4. quae sic habet: *Procurator non contrahit cognationem spi-ritualem sibi, sed mandanti.* Itaque mandans & suscipiens per procuratorem, cognationem con-trahit, non vero ipse procurator, cum non suo, sed mandantis nomine, infantem suscipiat.

## §. III.

## De cognatione legali.

50 Cognatio legalis definitur propinquitas ex adoptione alicujus in filium proveniens, & contrahitur primo inter adoptatum & adoptan-tem. Secundo inter adoptatum, & conjugem ad-adoptantis. Tertio inter adoptantem & conjugem adoptati. Quarto inter adoptantem & legitimos filios adoptati, saltem usque ad quartum gradum inclusive: simili enim modo merendi sunt gra-dus cognationis legalis, ac cognationis carnalis, quam illa imitatur. Est etiam inter adoptatum, & legitimos filios adoptantis, usque ad quar-tum gradum, non tamen perpetua, sed quamdiu durat adoptio, & dum filii legitimi sunt sub pa-tris potestate.

51 Haec vero species cognationis legalis singulae ditimant matrimonium, jure Ecclesiastico, & Civili; nam cap. unico de cognatione legali, sic dicitur: *Si quis per adoptionem tibi soror esse coeperit, quamdiu durat adoptio inter me & ipsam, nuptiae consi-tere non possunt.* Et in cap. Ita diligere, Nicolaus Summus Pontifex determinans, quod non po-test esse conjugium inter illos, inter quos est co-gnatio spiritualis, id probat hac ratione: *Si inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio iungit, quando potius a carnali oportet inter se contubernio ces-sare illos quos per celeste sacramentum regeneratio san-cti Spiritus iungit.* De hoc impedimento fuse disserunt Sanchez, Pontius, Amicus & alii; Sed cum illud rarissime accidat, non lubet nec expedire in eo diutius immorari.

## ARTICULUS IV.

## De impedimento criminis.

52 Quantum impedimentum dirimens est cri-men, per quod intelligitur primo occisio alterius conjugis, quae impedit ne conjux super-stes, possit matrimonium inire cum auctore ne-cis, si cum eo machinatus est mortem, vel si an-

tea adulterium cum eo commisit, etiam sine mor-tis machinatione. Hoc impedimentum incurritur non solum a viro uxorem occidente, sed eti-am ab uxore occidente virum, vel mandante ut occidatur, aut consilium auxiliumve ad occiden-dam praebente, ut constat ex cap. 1. de conver-si. in quo dicitur, hoc impedimentum incur-risse uxores Christianas, quarum viri, ipsarum insidii & machinationibus fuerunt a Saracenis interfecti. Et in Concilio Triburienti can. *Si quis* 31. quest. 1. decretum fuit, quod si vir uxorem, siue uxor virum occidisse convicta fuerit, in per-petua poenitentia, sine ulla spe conjugii, reli-quum vitae tempus transigerent.

Secundo nomine criminis intelligitur adul-te-rium commissum cum promissione futuri conju-gii cum adultera, post obitum propriae conjugis, vel cum ea de praesenti inito contractu matrimo-nii, quamvis inito. Nam per tale crimen contrahe-di matrimonium cum adultera, ut habetur can. *Relatum* 31. quest. 1. & ferè in omnibus capitulis sub titulo, *De eo qui duxit, praecipue cap. Finati*, ubi sic dicitur: *Si quis uxore vivente, fide datâ promisit a-liam se duciturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante, nec post (legitimam ejus superstitem) cognovit eundem: quamvis utrique ipsorum, pro eo quod in hoc graviter de-legerint, sit poenitentia injungenda, non est tamen ma-trimonium quod cum ea contraxit, post uxoris obitum dirimendum.* Caterum tolerari non debet, si prius, vel postea, dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluxerit.

Ubi Pontifex, ut hoc impedimentum incurra-tur, requirit quod haec duo inter se conjugan-tur, nempe adulterium, & fides de contrahendo defuncta propria uxore, aut praesens contractus cum ea quam in uxorem ducere cupit; unde si haec ab invicem separentur, & sit adulterium sine fide de contrahendo, aut fides de contrahendo, sine adulterio & carnali copula, non incurritur hoc impedimentum. Similiter, si fide datâ, vel contracto de praesenti matrimonio, uterque res-siliat, tamen si adulterium sequatur, hoc impedi-mentum non contrahitur, quia fides & praesens contractus eo casu fuit extinctus. Contra vero, si post adulterium data sit fides, vel contractum sit matrimonium, tamen si id mutuo consensu dis-solvatur, contrahitur hoc impedimentum; quia ad illud incurrendum sufficit, quod semel & si-mul fides & adulterium conjugantur; neque est postea in potestate adulteriorum, se a poena quam incurserunt eximere.

Ratio autem quae Ecclesiam induxit ad sta-tuendum hoc impedimentum, fuit ne allicerentur conjuges ad machinandum mortem suis con-jugibus, spe contrahendi matrimonium cum con-spiratoribus. Item ne allicerentur ad adulterium, spe vel praetextu contrahendi aliquando matri-monium cum adulteris. Quae ratio gravissima & aequissima est, quod enim atrocius, quam non so-lum fidem matrimonii non servare, verum etiam conspirare in mortem conjugis? Et quid ju-stius, quam vitam conjugum consulere, & tam immane scelus, quale est uxoricidium, vel adul-terium, condignâ poenâ punire? Unde perperam contra hoc impedimentum reclamant Lutherus in libro de captivitate Babylonica, cap. de matri-monio, & Melancthon in locis communibus, titulo de conjugio, quasi imprudenter Ecclesia matrimonium inter adulteros, non solum pro-hibuerit, sed etiam irritum fecerit, cum tamen (in-quint) David Bethsabeam prius a se pollutam